


# II. DĒ APE

## A. Intrōductiō

- 1 Apis est īsectum quae mel ē flōribus facit.  
apis, apis, f
- 2 Apēs habitant in alveāriō. Alveāria saepe in arboribus pendent.
- 3 Sunt quoque alveāria ab hominibus cōstrūcta.
- 4 Alveāria favīs cōstrūctae sunt. Favī mel continent. Favī fōr-
- 5 mam hexagōnī habent.



## B. Carthāgō et Apēs

### (Carolus Rueeus)

P. Vergilius Marō (70–19 A.C.) est maximus poēta Rōmānōrum. Magnum eius opus erat *Aenēis*, fābula dē hērōe Troiānō et conditū Rōmae. In hāc lēctiōne, quae parāta est ē līneīs 421–437 librī prīmī, hērōs Aenēās, post nāvium suārum ruīnam, venit ad Carthāginem, urbem Āfricānam. Ā monte Aenēās spectat Carthāginem et Carthāginiēnsēs labōrantēs in urbe. Vergilus popu-  
lum comparat apibus labōrantibus in agrō alveāriōque.

Legētis īfrā paraphrasim huius fābulae prōsam, ā Carolō Rueo  
scriptam. Carolus Rueeus (A.D. 1643–1725) fuit sacerdōs Socie-  
tatis Iēsū Gallicus quī filium Rēgis Ludovīcī XIV docuerat et ad  
prīcipem docendum nōnnūllās paraphrasēs operum classi-  
cōrum scripserat.

1 Aenēās admirātur magnitūdinem urbis, ubi erant oīlim casae,  
2 admirātur portās, et tumultum, et pavimenta viārum. Festī-  
3 nant ārdentēs Tyriī: pars extendit mūrōs, et ērigit arcem, et  
4 manibus rotat lapidēs: pars ēligit locum ad tēctum, et cingit  
5 fossā: ēligunt iūra, et magistrātūs et sacrum cōsilium. Illīc  
6 aliī excavant portūs, illīc aliī pōnunt profunda fundāmenta  
7 theātri, et secant ē rūpibus ingentēs columnās, quae sint alta  
8 ḫornāmenta futūrārum scēnārum.

9 Tālis est eōrum labor, quālis labor occupat apēs sub sōle, ae-  
10 stāte incipiente, per agrōs flōridōs: quandō ēmittunt gran-  
11 diōrem subolem generis, aut cum dēnsant mella liquidiōra, et  
12 implent alveāria suāvī nectare, aut excipiunt onera venientium  
13 ē pāstū, aut collectā turmā expellunt ā stabulīs suis fūcōs, pi-  
14 gra animālia. Omnēs intentī sunt ad opus, et mella odōrāta  
15 olen t̄hymum. “Ō fēlīcēs, quōrum mūrī iam ēriguntur,” in-  
16 quit Aenēās, et spectat altitūdinem urbīs.

## C. Apēs, Fūcī, et Vespa Iūdex (Aesōpus)

C. Iūlius Phaedrus (15 A.C.–A.D. 50) erat scriptor fābulārum. Fābulās Aesōpī Graecās in linguam Latīnam trānstulit. In hāc fābulā, apēs et fūcī dē possessiōne alveāriī arguunt. Ergō, argūmentum eōrum ante vespam iūdicem fertur.

1 Apēs in altā quercū favōs fēcerant, quōs fūcī inertēs dīcēbant  
2 esse suōs. Līs ad forum dēducta est, vespā iūdice, quae, cum  
3 genus utrumque nōsset pulcherrimē, lēgem hanc prōposit  
4 duābus partibus: “Nōn inconveniēns est corpus, et pār est co-  
5 lor, ut plānē rēs in dubium meritō vēnerit. Sed, nē religiō mea  
6 peccet imprūdēns, alvōs accipite et in cēram opus īfundite  
7 ut, ex sapōre mellis et fōrmā fāvī, auctor appāreat hōrum dē  
8 quibus nunc agitur.” Fūcī recūsant; apibus condiciō placet.  
9 Tunc vespa hanc sententiam rettulit: “Apertum est quis nōn  
10 possit et quis fēcerit. Quāpropter apibus frūctum suum restituō.”

## D. Cupīdō ab Ape Pūnctus Queritur (A. Alciātus et H. Stephanus)

Carmen proximum Theocritō, poētae Graecō pāstōrālī (c. 300–260 A.C.) attribūtum est. Andrēa Alciātus id Latīnē reddidit (A.D. 1534).

- 1 Alveolīs dum mella legit, percussit *Amōrem*
- 2 *fūrācem mala apēs*, et *summīs spīcula līquit*
- 3 in *digitīs*: tumidō gemit at puer anxius ungue,
- 4 et quatit errābundus humum, Venerīque dolōrem
- 5 indicat et graviter queritur, quod *apīcula parvum*
- 6 *ipsa īferre animal tam noxia vulnera possit.*
- 7 Cui rīdēns Venus: “*Hanc imitāris tū quoque*,” dixit,
- 8 “nāte, *feram*, quī dās tot noxia vulnera parvus.”

Haec versiō invenītur inter *Anacreōntēa*, carmina Graeca ab Anacreōnte poētā (saec. 6 A.C.) īspīrāta. Henricus Stephanus, typographus ērudītissimus et praeclārus tempore Artium Renātārum, hoc carmen Latīnē reddidit (A.D. 1554).

- 1 Inter rosās Cupīdō
- 2 apīculam iacentem
- 3 nōn vīdit estque pūnctus.
- 4 Manumque sauciātus,
- 5 mox ēiulāre coepit.

6 Et cursitāns volānsque

7 ad candidam Cythērem,

8 “Heu, occidī, occidī,” inquit,

9 “vītamque, māter, efflō.

10 Ēn mē *minūta serpēns*

11 *pennāta vulnerāvit;*

12 apem vocant colōnī.”

13 Tunc illa, “Apis sī acūmen

14 tantum facit dolōrem,

15 quantum putās dolēre

16 quōs tū ferīs, Cupīdō?”

## E. Rēx Apum

(Bartolomaeus Anglicus, *Dē Proprietātibus Rērum*, 12.4, 18.11)

Bartolomaeus Anglicus (A.D. 1202–1273) erat scholasticus mediavalis. Librum *Dē Proprietātibus Rērum* scripsit, in quō scientiam multorum animālium rettulit. In hāc lēctione, Bartolomaeus rēgem apum dēscrīpsit: quālēs apēs rēgēs fierent, quōmodo apēs rēgem suum honōrārent, et quōmodo apēs rēgem in volātū attenderent.

1 Apēs rēgem sibi creant. Ipsae sibi populōs ūordinant. Et tamen  
2 licet positae sub rēge, ipsae tamen sunt liberae. Et rēgem sibi  
3 substituunt et nātūrāli affectū diligunt, et summā dēfēnsiōne  
4 dēfendunt et prō eō perire pulchrum putant. Rēgī suō tantam  
5 reverentiam exhibit ut nūllae dē suīs domibus exīre audeant  
6 nec ad aliquōs prōdīre pāstūs nisi rēx fuerit ēgressus et volātus  
7 sibi vindicāverit p̄incipātum. Ēligunt autem apēs sibi rēgem  
8 in magnitūdine et speciē magis īsignem. Et quod in rēge  
9 praecipuum est, ēligunt mānsuētūdine clāriōrem. Etsī habeat  
10 acūleum, eō tamen nōn ūtitur ad vindicandum. Nātūrāliter  
11 autem apēs tantō sunt leviōrēs, quantō cēterīs sunt maiōrēs.  
12 Sed et apēs quae nōn obtemperant rēgī propriā condemnā-  
13 tiōne sē mulctant ut acūlei suī vulnere moriantur.

14 Mīranda autem est circā rēgem plēbis oboedientia. Nam cum  
15 prōcēdit, tōtum exāmen circā ipsum conglobātur. Et ab ipsō  
16 agmine velut aciē mīlitum cingitur et vallātur et prō multi-  
17 tūdine obsequentium tunc temporis vix vidētur. Cum popu-  
18 lus apum in labōre est, ipse intus est et circumit similis exci-  
19 tantī, sōlus ā labōre est immūnis. Circā quem et apēs adsunt  
20 quaēdam habentēs acūleum tamquam lictōrēs quī auctōritāte  
21 assiduā rēgis sunt cūstōdēs. Et ipse rārō prōcēdit forās nisi  
22 quīn exāmen tōtum dēbet exīre. Cuius exitus intelligitur ante  
23 diēbus aliquot exercitū murmurante et quasi ad exitum sē  
24 praeparante.

## F. Mōrēs et Prōgeniēs Apum (Vergilius, Geōrgica 4.177–206)

Antequam *Aenēida* scripsit, Vergilius quattuor librōs *Geōrgicōn* composuit. *Geōrgica* dēscrībunt rēs rūsticās et vītam agricolārum. In hāc lēctionē, Vergilius mōrēs ēt prōgeniem apum refert. In fīne, rēgnum apum comparat societātī Rōmānae suaē.

1 Cēcropiās innātus apēs amor urget habendī,  
2 mūnere quamque suō. Grandaevīs oppida cūrae  
3 et mūnīre favōs et daedala fingere tēcta.  
4 At fessae multā referunt sē nocte minōrēs,  
5 crūra thymō plēnae; pāscuntur et arbuta passim  
6 et glaucās salicēs casiamque crocumque rubentem  
7 et pinguem tiliam et ferrūgineōs hyacinthōs.

8 Omnibus ūna quiēs operum, labor omnibus ūnus:  
9 māne ruunt portīs; nusquam mora; rūrsus eāsdem  
10 vesper ubi ē pāstū tandem dēcēdere campīs  
11 admonuit, tum tēcta petunt, tum corpora cūrant;  
12 fit sonitus, mussantque ūrās et limina circum.  
13 Post, ubi iam thalamīs sē composuēre, silētur  
14 in noctem fessōsque sopor suus occupat artūs.

15 Nec vērō ā stabulīs pluvīā impendente recēdunt  
16 longius aut crēdunt caelō adventantibus Eurīs,  
17 sed circum tūtae sub moenibus urbis aquantur,  
18 excursūsque brevēs temptant et saepe lapillōs,  
19 ut cumbae īstabilēs, flūctū iactante, saburram  
20 tollunt; his sēsē per inānia nūbila lībrant.

21 *Illum* adeō placuisse apibus mīrābere *mōrem*,  
22 quod neque concubitū indulgent nec corpora sēgnēs  
23 in Venerem solvunt aut fētūs nīxibus ēdunt:  
24 vērum ipsae ē foliis nātōs, ē suāvibus herbis  
25 ūre legunt, ipsae rēgem parvōsque Quirītēs  
26 sufficiunt aulāsque et cērea rēgna refīgunt.  
  
27 Ergō ipsās quamvis angustī terminus aevī  
28 excipiat, neque enim plūs septima dūcitur aestās,  
29 at genus immortāle manet multōsque per annōs  
30 stat fortūna domūs et avī numerantur avōrum.

## G. Praecōnium Paschāle ('Exsultet')

Praecōnium Paschāle est antiqua ōrātiō Ch̄ristiāna ad Resur-  
rēctiōnem celebrandam. Haec ōrātiō in vigiliā Paschatis canitur,  
in tenebrīs ante magnam candēlam. 'Exsultet' appellātur, quia  
incipit "Exsultet, iam angelica turba caelōrum." In hāc parte, dē  
Candēlā Paschālī et opere apum canitur. Laus apis in hāc ōrātiōne  
ā Vergiliī Geōrgicōn librīs īspīrābātur.

1 In huius igitur noctis grātiā, suscipe, sāncte Pater, laudis  
2 huius sacrificium vespertīnum, quod tibi in hāc cērei oblātiō-  
3 ne sollemnī, per ministrōrum manūs dē operibus apum, sa-  
4 crōsāncta reddit ecclēsia. Sed iam columnae huius praecōnia  
5 nōvimus, quam in honōrem Deī rutilāns ignis accedit.

6 Qui, licet sit dīvisus in partēs, mūtuātī tamen lūminis dēt-  
7 rīmenta nōn nōvit. Alitur enim liquantibus cēris, quās in sub-  
8 stantiam pretiōsae huius lampadis apis māter ēdūxit.

9 O vērē beāta nox, in quā terrēnis caelestia, hūmānis dīvina  
10 iunguntur!